



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Apographum Tabulae pendentis in Ecclesia Raittenhaslach.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

ditionis Testes hi sunt, Hartmannus Brixinensis Episcopus, Hartvvicus Ratisb' Ep's, Hugò Salisburgensis Præpositus, Gotfchalcus Baumburgen. Præpos. Heinr. Salisburgensis Abbas, & alii abbates quàm plurimi, Engelbertus Marchio de Ystria, Heinr. Comes de Wolfrateshusen, Heinricus Comes de Vrantenhausen, Wolfframus de Dornberch, Walchun de Steine, Vlricus de Arbingen, Hartnit Castellanus, cæterique quam plures, tam nobilium quam Ministerialium, secundæ traditionis hi testes sunt, Hugo Salisburgensis Præpos. Gotfchalcus Baumburgensis Præpos. Gerhoch Richerspurgenensis Præpositus, Vlricus Kiemensis Præpositus, Haymo Abbas de Sevm, Heinr. Abbas de Peurn, Rudpertus Præpositus de Werdt, Engelbertus Marchio de Ystria, Seifridus Comes de Leubenaue, Hartmannus de Nufsdorff, Leutoldus de Siesdorff, Hartnit Castellanus, Luitvvinus de Sebelingen, Wisnit de Bongen, Wagingerbergau.

A D D I T I O N E S.

Apographum Tabulæ pendentis in Ecclesia

Raittenhaslach.

ANno Dñi M, C, XLIII. VI. Cal. Nouembr. hoc est in Vigilia Apostolorum *Simonis & Iuda*, à constitutione domus, & ordinis Cisterciensis anno quadragésimo sexto, superstitite adhuc in hac vita beatissimo patre nostro *Bernhardo* annis ferè decem, vir nobilis *Wolfherus* de *Tegernbach*, & vxor eius *Hemma* in prædiò suo dicto *Schyzing* fundare ceperunt hanc Abbatiam, primo Abbate eiusdem loci Domino *Gerone* viro venerabili existente, postea verò anno Domini Milleesimo, Centesimo, quadragésimo sexto, præsidente in sede Romana sanctissimo Papa *Eugenio* tertio, ex filiis spiritualibus sanctissimi *Bernhardi* ad apostolicam dignitatem assumpto, pontificatus sui anno secundo: in iplo vero *Romanorum* Imperio feliciter regnante *Conrado* secundo anno sui Imperij nono, felicissimæ & omnireuerentia honoris dignissimæ memoriæ Dominus *Conradus* eiusdem nominis primus sanctæ *Salisburgensis* Ecclesiæ Archiepiscopus, considerans situm loci non esse aptum illi ordini, consilio habito ex consensu petitionis prædicti *Wolfheri* ad habitationem fratrum & situm Cœnobij ad præfatum ordinem obseruandum, antiquam Ecclesiam suam *Raittenhaslach* in hoc loco sita & constructam quondam sub patricinio S. *Pangracij*, martyris, vt tradit antiquitas, quæ tunc vacabat, cum decimis, dote & familia, omnibusque necessariis remota parrochia tradidit vt in ipsius priuilegio continetur. Demum succedentibus temporibus à felicissimæ recordationis Dño *Eberhardo* secundo venerabili iam dictæ *Salisburgen.* Dioc. Archiep'o, Apostolicæ Sedis Legato, cum adhuc pauper & tenuis esset ipsa Abbatia, salubriter Deo donante incrementum, est rigata & fructuosè sublimata, adeo vt tam per collationem triù Ecclesiarum videlicet *Halspach*, *Nidernperkirchen*, & montem S. *Mariae*, quam Ecclesiam per donationem decimarum & prædiorum, nec non & librorum & aliorum, ornamentorum Ecclesiasticorum tam, vel etiam plus contulerit Ecclesiæ nostræ, quam vsque ad sua tempora visa fuerit possedisse. Hic & intus innumera beneficia huic Ecclesiæ impensa, sedilia Monachorum ædificauit, luminaria deputauit, & partem salinæ quam vsque possidemus tradidit & donauit. Hæc autem oia supra memorata & alia innumera beneficia de voluntate & consensu Capituli Ecclesiæ suæ nobis impedere nõ omisit. Insuper oia priuilegia Ecclesiæ nostræ p se in pria psona à sede Apostol. confirmauit, nobis petiit, & efficaciter impetrauit.

trauit. Nec hoc etiam latere volumus quod omnes Illustrissimi Duces *Bavariae*, quorum confinio & districtui Ecclesia nostra sita dignoscitur, ipsam Ecclesiam nostram à sui origine semper speciali favore & benevolentia tam in prerogativa multarum libertatum per aquam & aridam, quam in libera succissione lignorum de nemoribus suis ad nutrimenta ignis & gratiosa munificencia decimarum de duobus granariis suis *Oetingæ* & *Burckhausen*, nec non in multiplici & quotidiana protectione & defensione præ cæteris suis Ecclesiis sui Principatus sunt eatenus profecuti. Specialiter tamen inclytus Dux *Bavariae Henricus* nonus hanc nostram Ecclesiam in tantum dilexit & fovit, ut quicumque ipsam in aliquo offendisset, pupillam oculi eius tangere crederetur.

Eugenius Episcopus servorum Dei servus. Dilectis filiis Geroni abbati eiusque fratribus de *Rottenhaslach* tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem fortiatum effectum. Eapropter dilecti in Domino filii vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum locum in quo diuino mancipati estis officio sub *B. Petri* & nostra protectione suscipimus. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificè, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis Deo propicio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc, propriis duxim' exprimenda vocabulis. Locum ipsum quem admodum à venerabili fratre nostro *Chunr.* Archiepiscopo *Salisburgensi* vobis pia devotione collatus est. *Windeberge* cum omnibus appendiciis suis. *Tierolsingen* mansum unum cum pascuis, cultis & incultis, quæ sitis legitime & acquirendis, in sylva quæ vulgò dicitur *Ampfingerforst*, pascua portena, aream quæ *Sulingen*. In *Ratisponensi* Episcopatu prædium in loco qui *Mosolgen* vocatur, sicut à nobili viro *Wolshero* vxore quoque & filiis suis rationabiliter vobis concessum est. Sanè laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis siue de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere præsumat. Decernimus ergò ut nulli omnino liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare. Sed omnia integrè conferuentur, eorum pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura. Salua sedis apostolicæ auctoritate & diocesano Episcoporum canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire temptauerit, secundò tertioque commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Dñi nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo iudicio districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax Dñi nostri Iesu Christi, quatenus & hic bonum fructum actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant amen. Datum apud vicum *Bonianum*. *Guido* S. *Romane* Ecclesiæ Diaconus Cardinalis & Cancellarius, 5. Cal. Februarij, Indictione decima, Incarnationis Dominicæ an. 1146. Pontificatus verò Dñi Eugenij Papæ tertij, anno secundo.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego *Chunradus* per gratiam Dei *Salisburgensis* Ecclesiæ Archiepiscopus. Licet testante Apostolo quod omne quod antiquatur & senescit, prope ad interitum sit, præsentem Ecclesiam effusione sa-

Metrop. Salub. Tom. III.

qui. in. O. p. 3